Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8293
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

dicit Blandiens paupercula tempestate convulsa. Rursumque eam
consolatur dicens. Elegi te in camino paupertatis. At contra Paulus
De divitibus et potentibus — discipulo de divitibus dicit. Divitibus huius seculi precipe non
superbe sapere nec sperare in incerto divitiarum suarum. Ubi notandum
valde est quod humilitatis doctor memoriam divitum faciens non
ait roga. Sed precipe. quia et si impendenda est pietas infir
mati. honor tamen non debet elacioni. Talibus rectum est quod dicit.
Tanto rectius debetur quanto et in rebus transitoriis altitudine
cogitacionis intumescunt. De hiis in evangelio dicit dominus. Ve
vobis divitibus dicit dominus qui habetis consolationem vestram.
Quia enim que sunt eterna gaudia nesciunt ex presentis vite habunda
ncia consolantur. Offerenda ergo est eis consolacio quos caminus
paupertatis excoquit atque illis inferendus est timor. quos con
solatio glorie temporalis extollit. Ut illi discant quia divicias quas
non conspiciunt possident. Et isti cognoscant quia eas quas
conspiciunt tenere nequaquam possunt. Plerumque tamen personarum ordinem
permutat qualitas morum ut sit dives humilis pauper elatus. Unde
mox predicantis lingwa cum audientis vita debet componi ut
tanto districtius in paupere feriat elacionem quanto eam nec
illata paupertas inclinat. et tanto levius humilitatem divitum
mulceat. quanto eos nec habundantia que sublevat exaltat
Nonnumquam tamen etiam superbus dives exhortacionis blandimen
to placandus est. quia et plerumque dura vulnera per lenia fo
menta mollescunt. et furor insanorum sepe ad salutem medico
blandiente reducitur. Cumque in eis dulcedine condescendit.
langwor insanie mitigatur. Neque enim negligenter intuendum est
quod cum Saul spiritus adversus invaderet. apprehensa David cy
thara eius insaniam sedavit. Quid enim per Saul nisi vita po
tencium. et quid per David innuitur nisi humilis vita sanctorum.
Cum ergo Saul ab immundo spiritu arripit. David canente eius
insania temperatur. quia cum sensus potentum per elacionem in furo
rem vertitur dignum est ut ad salutem mens quasi dulcedine
cythare locucionis nostre tranquillitate revocetur. Aliquando autem
cum huius seculi potentes arguuntur. prius per quasdam similitudi
nes velud de alieno negocio requirendi sunt. Et cum rectam
sentenciam quasi in alium protulerint. tunc modis congruentibus
de proprio reatu feriendi sunt. Ut mens temporali potencia tu
mida contra corripientem nequaquam se erigat. que suo
sibi iudicio cervicem superbie calcat. et in nulla sui defen